Quaestio Quodlibetaria agitanda In Scholis Medicorum die Martis 12ª Decembris.

M. Michaële Marescot moderatore.

An ad bene medendum In nostratibus Medicamentis satis Praesidii?

Medendi ratio cum homine ipso nata, apud omnes eadem, taciti et sine medicis in usu habita est temporibus, non cuiusque arbitrio, sed naturae constanti lege formata, nullo modo immutari, illustrari tamen ac nondum cognitis, novisque omnibus remediis (prout novorum morborum species existunt) amplificari potest. Haec sibi sanitatem conservat, morbum contrariis profligat, naturam (sine qua tamen saepe vel superior ac efficacior maxima quaeque proficit) adiuvant, vel incitant. tribus autem instrumentis utitur, diaeta, medicamento, chirurgia, quatuor rebus praecipue proficitur, genere, qualitateque remedii (in recto omnium verborum, et characterum, magnaque ex parte πεισάντων usu) quantitate quae difficillime cognoscitur, utendi modo, et occasione quae citissime effugit.

Quantitas Remedii non mole tantum (quae vim mediocriter retinet, gradum non auget) sed qualitatis ordine aestimanda est. Ipsum enim aequalibus numeris morbo adhiberi debet. acuti maligniq; statim initio extrema, validissimaq; requirunt. Mediocres lenti, et paulatim tutius eximuntur. sic tamen ut medicamenti vis non sit irrita neu illud suo fine frustratum in humoris evacuandi naturam transeat. Mutanda saepe sunt remedia, neq; tamen ad alia progrediendum si morbo convenientia instituta sunt. Utendi modum humoris natura, via per quam educitur, locus cui remedium adhibetur, medicamenti vis et genus, et morbi conditio indicant. Occasionem vero medendi ut infinita nobis ostendunt sic praecipuum. Remedii genus in alimentorum et medicamentorum qualitate maxime consistit.

Medicamentum est quod naturam nostram immutat, corporiq; est salubre. aliud agendi vim actu sortitur, aliud potestate, non prius corpus afficiens, quam a calore nativo excitatum et in actum revocatum sit: aliud per se, aliud per accidens, aliud simplex, aliud compositum, quod ex contrariae naturae, qualitatisque habet, ita contrariae simul actiones exercere potest. qualitates primas ex quibus reliquae omnes aestimare, vel derivare absurdum est, quatuor sunt tantum. secundas plurimas μαλακτική, χαλαστική, εκπυητικα quas a solo calore nativo est, ἐμπλαστική, ῥυπτική, ἐμφρακτική, ἐκφρακτική, ἀνώδυνος, ναρκωτική, quae a solo frigore non nascitur. tertias quae ulterius progressae, sive sunt particulares, ut σαρκωτική, κολλητική, ἐπουλωτική, συμπτική, quas saepe in medicamentis crassarum partium est et astringentibus. Quartas omnibus efficaciores certis humoribus, et partibus accommodatas ut κεφαλική, καρδιακή, ἡπατική, καθαρτική qualium nullum distillatum habet ἀλεξητήρια quae mediam inter corpus nostrum, et venenum cui potest aliquid afferendo, naturam obtinet.

Qualitates hae maxime vero primae ordinibus, sive gradibus quatuor (quamquam quidam aut licentia in quarto gradu nihil est) distinctae sunt. ac singuli rursus ordines principio, medio et fine definiti tertium gradum a remissioribus minuuntur, non tantum a contrariis. Qualitatem vero, et qualitatis ordinem iudicant, sapor non certo (multa enim amara frigida) odor incertus, color incertissimus, sonus nullo modo, ut nec aliae quae tactum afficiunt secundae qualitates gravis, levis, asperum, lene, molle, durum. Numerus quodammodo ut tempus, et locus non mediocriter qualitates medicamentorum immutant. Itemque praeparationes variae, inter quas chymica ratio nativam medicamenti vim reddit vegetiorem, eamque saepe abolet, aut aliam scopo medico plane contrariam inducit.

Terra vero ut mater coeli tanquam patris vario facie et aspectu, varia producit (nam suas pro coeli soliq; temperie singulis mundi partibus dividere opes) metalla quidem innata, raro inter humida, saepe admovenda. stirpes seu non distinctae quaedam naturae magis familiares. Variantia varia. et viventibus autem quamquam non solis alimenta sumuntur, et medicamenta ἀλλοιωτικά, vel καθαρτικά. Inter nostratia ἀλλοιωτικά aromata pauca sunt externis multo imbecilliora, ut Acorus nostro in numero aromatum excenseatur, Iris nostras cum florentina, aut Illyrica non conferenda. καθαρτικά vero domestica vel omnia imbecilla sunt, ut viola, pruna, fumaria, absynthium, πολύφυλλον quod idem est Romanum et ponticum, frangula, rhamnus solutivus: vel maligna ut Elleborus, aut aquas tantum educentia, ut Iris, Ricin, Brionia, Ebulus, Sambucus, et tithymallorum species omnes, Gratiola, Peplium, Lathyris, Ricinus; quae haud absq; eodem tamen calore dureritia, maligna qualitatis participe, vires et ventriculum periculose vellicant, ut nec actionis praestantia, nec eventus felicitate aequare externorum Cassiam, Rhabarbarum, sennam, agaricum, et reliqua peregrina possint.

Igitur ad bene medendum In nostratibus Remediis non est satis Praesidii.

Deffendebat Joannes Lamonius Laudunensis 1581.

Domini Doctores Disputaturi.

M. Henricus Blacuod.
M. Nicolaus Ellain.
M. Hugo Prevosteau.
M. Nicolaus Milot Med. Reg.
M. Guillelmus de Baillou Decanus.
M. Marinus Akakia Pr. reg.
M. Simon de Malmedy Pr. Reg.
M. Albertus le Febure.
M. Petrus Girourt.